

69 Confirmatur ex Novella 42. Leonis Imperatoris, quæ, quia Corpori Juris inserta habetur, non levis ponderis est; ubi expressè statuitur, quòd Testamentum in ratione Scripti attentatum, valeat saltem in vim Nuncupativi, si solemnitate Testamenti scripti destitutum, eam habet, quam Nuncupativum requirit: Sancimus, ait Imperator, ut, quòd Testamentum respectu eorum, quæ scripto Testamento adesse debent, imperfectum est, si tamen Nuncupativi Testamenti testimonio non indigeat, vigore Nuncupativi Testamenti firmum sit. Sed

70 Objicies I. Qui vult testari in Scriptis, non vult testari Nuncupativè, ergo deficit voluntas testandi Nuncupativè; consequenter necessarium requisitum, cum sine voluntate testandi Testamentum nullum sit. Resp. Distinguendo ant. Qui vult testari in Scriptis, non vult testari Nuncupativè explicite & expressè, conceditur, implicitè negatur: quia quicumque testatur, principaliter ita testari intendit, ut Testamentum valeat, consequenter etiam implicitè vult, ut si Testamentum non valet modo, quo illud concedere conatur, valeat saltem modo alio, quo potest meliori. Nam ut dicitur l. Quoties. 12. ff. de Rebus dubiis: Quoties in actionibus, aut exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum est, id accipi quo res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat. Consequenter cum ambiguum & controversum sit, an in Scriptis Testamentum attentans, voluerit etiam saltem implicitè testari Nuncupativè, debemus partim affirmativam tenere, utpote per quam res, Testamentum nempe, de quo agitur, potius valeat, quam pereat: præsertim, quia alias in dubio in favorem Testamenti pronuntiandum est, l. Si pars. 10. prin. ff. de Inoff. Testam. ibi: Humanius erit, sequi ejus partis sententiam, quæ secundum Testamentum spectavit.

71 Objicies II. Testamentum defectu solemnitatis invalidum non valet in vim Codicilli, nisi apposta sit clausula Codicillaris, quæ Testator expressè disponit, quòd, si non valet ut Testamentum, valeat ut Codicillus, aut modo, quo potest meliori, quamvis alias requisitam ad Codicillum solemnitatem habeat, l. 1. ff. de Jure Codicill. ibi: Sepissime rescriptum, & conclusum est, eum, qui Testamentum facere opinatus est, nec voluit quasi Codicillos valere, videri nec Codicillos fecisse. Ideoque quod in illo Testamento scriptum est, licet quasi in codicillis poterit valere, tamen non debetur: & ibi Doctores; ergo neque Testamentum scriptum ex defectu solemnitatis invalidum, valebit in vim Nuncupativi: nisi addit clausula, quòd si ut Scriptum non valet, illud saltem ut Nuncupativum valere velit. Resp. negando consequentiam & paritatem. Disparitas est, quòd ex Testamento Scripto & Nuncupativo idem habeatur effectus; non item ex Testamento & Codicillo; cum per illud quis testatur, per hunc vero intestatus decedat, consequenter qui Testamentum intendit, non hoc ipso etiam Codicillum condere intelligatur; nisi per clausulam Codicillarem id manifestè declararet. Accedit, quòd circa Codicillum specialiter disponant Jura, illum sine expressa clausula Codicillari præsumi non debere: non sic de Testamento Nuncupativo, de quo proin juxta communia alia Juris principia erit discurrendum; inter quæ & illud est; quòd quivis præsumatur velle, actum suum potius valere, quam non valere.

72 Dicitur autem notanter in Conclusionè; si saltem habet omnes illas solemnitates, quæ ad Te-

stamentum Nuncupativum requiruntur; si enim Testamentum Scriptum ex defectu alicujus solemnitatis etiam ad Nuncupativum requisitæ est nullum, v. g. si non interfuerit sufficientes, aut debite qualificati testes, neququam in vim Nuncupativi valebit, etiam si adesse clausula, quòd in vim Nuncupativi illud valere velit. Omnes. Ratio est; quia ut valet Testamentum in vim Nuncupativi, non sufficit sola voluntas Testatoris, sed adesse etiam debent solemnitates de Jure requisitæ. Pariter non valet in vim Nuncupativi, si scriptum Testamentum ex defectu solemnitatis invalidum, testibus præsentibus, dum condebatur, prælectum non fuit. Prout pariter fatentur omnes ex eo, quòd una ex requisitis ad Testamentum Nuncupativum solemnitatibus sit, ut hæres, & reliqua dispositio ultima palam manifestetur testibus juxta dicta n. 49.

Hinc inferitur, Testamentum Scriptum ex defectu solemnitatis invalidum, in vim Nuncupativi rarissime & vix unquam valere; quia licet alias requisitis ad Testamentum Nuncupativum solemnitates habeat, tamen plerumque & ordinariè in hoc deficit, quòd testibus, quid continetur, non manifestetur, hoc ipso, quòd Testamentum Scriptum idèò sit adinventum, & ordinariè idèò fiat, ut ipsos etiam testes lateat id, quod in Testamento continetur.

Et hæc de Testamento Nuncupativo, quod quomodò practicè fieri possit, ac debeat, compendiosè jam dictum est supra n. 46.

§. IV.

De Necessitate solemnitatum in Foro externo.

SUMMARIUM

- 74 Status questionis.
- 75 In Foro externo solemnitates sunt de substantia Testamenti.
- 76 Doctrina practica.
- 77 Testamentum defectu solemnitatum nullum, valet quoad legata, si hæres ab intestato fateatur, se ipsum audivisse defuncti voluntatem.
- 78 Etsi hæres excipiat, quòd Testamentum non habeat debitas solemnitates.
- 79 Si negat, se aliquòd à Testatore audivisse, potest ei offerri juramentum.
- 80 Probat ex Jure.
- 81 Si hæres ab intestato non interfuit Ultimæ voluntati; tunc corruente Testamento corruunt etiam legata.
- 82 Proponitur, & solvitur obiectio.
- 83 Testamentum minus solenne valet etiam in Foro externo, casu quo hæres ab intestato ipse percepit, & fateatur defuncti voluntatem.
- 84 Probat ex ratione Legis.
- 85 Leges solemnitatem præscribentes fundantur in præsumptione fraudis.
- 86 Universali, non particulari.
- 87 Hinc non se extendunt ad Testamentum confessatum à parte adversa.
- 88 Lex debet esse utilis & necessaria.
- 89 Solvitur obiectio.
- 90 Neganti hæredi ab intestato, se interfuisse Testamento, potest offerri juramentum.

Vidimus in præcedentibus Paragraphis, quæ nam solemnitates de Jure Civili requirantur ad Testamentum solenne tam Scriptum, quam Nuncupativum. Videndum modò de necessitate eorundem.

dem. An videlicet sint tantum necessariae seu necessariè requirantur ad probationem, ita, ut si aliunde sufficienter constet de Voluntate Ultima Testatoris, Testamentum etiam absque solemnitatibus à Jure Civili præscriptis valeat. An verò sint etiam necessariae, seu necessariè requirantur ad substantiam & valorem illius, adeò, ut si aliqua earum desit, Testamentum ipso Jure nullum sit; etsi aliunde de Ultima Voluntate Testatoris sufficienter vel cerò constet, aut probari possit. Et quidem procedit Quæstio pro Foro externo, quia quomodò pro Foro interno necessariae sint solemnitates, dicemus §. sequenti. Hinc.

75 Quæritur I. Qualiter Testamentorum solemnitates à Jure Civili præscriptæ sint necessariae pro Foro externo? Resp. I. Sunt necessariae non tantum ad faciendam probationem, sed etiam ad substantiam & valorem Testamenti, adeò, ut si vel una deficiat, totum Testamentum in Foro externo quoad hereditatem, seu hæresis institutionem sit nullum & irritum, quantumvis aliunde cerò constet de Voluntate Testatoris, nisi ipse hæres ab intestato percepit, & fateatur defuncti voluntatem. Covarruvias cap. 10. de Testam. n. 14. & seq. Bart. in l. Nemo potest. ff. de Legat. 1. & ibi Jason num. 17. licet & in l. 1. ff. de Cond. indeb. n. 17. Klingensperger lib. 2. Tit. 10. quest. 8. Pirhing h. r. ru. 10. Alexander, Decius, Aretinus, & communis Legistarum, cum quibus & nos in Theologia nostra Morali Tract. 8. Dist. 3. n. 6. idem docuimus. Probat Conclufio ex variis Juris textibus, in quibus Testamentum debita solemnitate destitutum, dicitur irritum & nullum. Sic in primis de numero testium l. Si unus. 12. de Testament. ita habet: Si unus de septem testibus defuerit, vel coram Testatore omnes eodem loco testes suo vel alieno annulo non signaverint, Jure deficit Testamentum. De subscriptione & subfignatione testium ad Testamentum Scriptum requisitæ, l. Hæc consulescimus. 21. C. h. r. ita disponit: Non subscriptum à testibus, ac non signatum Testamentum pro infelco haberi convenit. De solemnitate, vi cujus testes Testatorem videre debent, sic statuitur, l. Si non speciali 9. C. h. r. Si testes non in conspectu Testatoris, testimoniorum officio functi fuerint, nullo Jure Testamentum valeat &c. Dein de omnibus & singulis solemnitatibus universaliter ita disponitur. l. Hæc consulescimus. 21. C. h. r. Ex imperfecto autem Testamento (id est solemnitatibus debitis destituito) voluntatem defuncti tenere, non volumus. §. 7. Inst. Quibus modis Testament. infirm. dicitur: Imperfectum Testamentum sine dubio nullum est. Concordat l. fin. C. h. r. ac plures aliae, ob quæ clara Jura Doctores satis conveniunt, solemnitates in Foro externo esse de substantia Testamenti; præsertim, quia una deficiente solemnitate ipso factò est nullum, & ad instantiam partis pro tali declarari debet, etsi alias cerò constet, vel evidenter probetur defuncti voluntas; uti magis dicitur infra.

76 Inferitur, nullum ac irritum quoad hereditatem in Foro externo esse Testamentum solenne Scriptum, si non interfuerit septem testes, vel si septem adfuere, unus tamen fuisse de Jure inhabilis; vel si non omnes subscriperunt; vel si non omnes sigillum apposuerunt; vel si non fuerunt rogati, aut requisiti; vel si non fuere ita præsentis, ut potuerint Testatorem audire, & videre, vel si totum negotium uno contextu non fuit absolutum &c. Idem est de Testamento Nuncupativo, si aliqua ad illud requisita solemnitas supra ex recensitis desit. Dicitur autem notanter in Conclusionè quoad hereditatem, seu hæresis institutionem. Nam

77 Resp. II. Etsi Testamentum creat unà, vel plures Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

ribus solemnitatibus à Jure Civili requisitis, indeque quoad hereditatem irritum ac nullum sit in Foro externo, valet nihilo minus in eodem Foro quoad fideicommissa, & legata, casu quo hæres, Testamentum invalido existente, ab intestato succedens implet præfens audivit, & fateatur defuncti voluntatem, etiam si Testatoris dispositio neque solemnitates ad legatum vel fideicommissum requisitas habuerit. Jul. Clarus §. Testamentum. qu. 90. n. 2. citans communem. Alexander in l. Nemo potest. ff. de Legat. & ibi Bart. quem DD. communiter, imò teste Capic. Decis. 89. qu. 2. omnes sequuntur, textu claro l. Non dubium. 16. C. h. r. ibi: Illud etiam adiciendum est, ut qui ex Testamento, vel ab intestato hæres extiterit, etsi voluit defuncti circa legata, seu fideicommissa, seu libertates legibus non sit submissa, tamen si sua sponte agnoverit & implendi eam, necessitatem habet. Concordat l. etsi. 2. C. de Fideicommiss. ubi disponitur, quòd si quis alicui fideicommissum in Testamento minus solenni, consequenter invalido relicto solvat, & tradat, revocari tale fideicommissum postea non amplius possit. Ratio ibidem assignatur; quia præsumitur ita tradentem ipsummet audivisse, ac scivisse Testatoris fideicommissitæ voluntatem; consequenter urgente conscientia tradidisse: cum in simili casu dispositio Testatoris quoad legata valeat. etsi requisitis alias solemnitatibus careat. Verba Legis sunt sequentia: Etsi inutiliter (id est absque debitis Juris solemnitatibus) Fideicommissum relicto sit, tamen si hæres conspèctæ voluntate defuncti prædita ex causa fideicommissi avo suo præstiterunt, frustra ab hæredibus ejus de ea re questio movetur, cum non ex ea sola scriptura (solemnitatibus carente) sed ex conscientia relicti Commissi defuncti voluntati satisfactum videatur.

Inferitur proin, quòd si Judices etiam in Foro externo, Testamentum aliquod agnoscant, & declarant nullum, hoc ipso non statim etiam legata, vel fideicommissa tanquam nulla ac invalida rejicere, sed prius videre debeant, an non constet, vel jam confessus sit hæres ab intestato succedens, quòd implet audiverit defuncti voluntatem; hoc etiam si fateatur, ad legata, & fideicommissa eum compellere debent non obstante, quòd excipiat dicendo, Testamentum non valere, neque habere requisitas ad legata solemnitates; uti patet ex citatis Juribus, & §. fin. Inst. de Fideicommiss. hæredit. ubi expressè statuitur: Quòd si is constituitur quidem, sed ad Legis subtilitatem recurrat, omninò solvere cogendus est.

79 Quòd si neget, se aliquam dispositionem circa legata, vel fideicommissa ab ipso Testatore audivisse, ille verò, pro quo legatum aut fideicommissum factum est, sciat & affirmet, hæredem ab intestato ipsummet interfuisse præsentem, & dispositionem Testatoris propriis auribus percepisse, compellendus est dictus hæres ad præstandum juramentum, quòd nihil tale à Testatore audiverit; casu quo ille, cui legatum vel fideicommissum relicto est, aliis probationis mediis destitutus, juramentum dicto hæredi ab intestato offerat; prout clarè statuitur cit. §. fin. Inst. de Fideicommiss. hæreditat. illis verbis: Si Testator, fidei hæredis sui commisit, ut vel hereditatem, vel speciale fideicommissum restituat, & neque ex scriptura, neque ex quinque testium numero (qui in fideicommissis legitimus esse dignoscitur) possit res manifestari, sed pauciores quam quinque, vel nemo penitus testis intervenit: tunc si pater hæredis, sive quicumque alius sit, qui fidem hæredis elegerit, & ab eo restitui aliquid voluerit: si hæres perfidia tentus, adimplere fidem recusat, negando rem ita esse subsecutum, si Fideicommissarius jurat.

juramentum ei deuleris; cum prius ipse de calumnia juraverit, necesse eum habere, vel jurandum subire, quod nihil tale a Testatore audiverit, vel recusantem ad fideicommissi, vel universalis, vel specialis solutionem coarctari, ne deperat Ultima Voluntatis Testatoris, fidei hæres commissa. Eodem observari censuimus, si a Legatario, vel Fideicommissario aliquid similiter relictum sit. Quod si is, a quo relictum dicitur (postquam negaverit) constituitur quidem aliquid à se relictum esse, sed ad Legis subtilitatem recurrit, omnino solvere cogendus est. Ex quibus, sicut & ex prædictarum Legum verbis aperte constat tenor Conclusionis nostræ, videlicet, quod corruent ob defectum solemnitatis Testamento, valeant saltem legata, ac fideicommissa, casu quo, hæres ab intestato succedens fateatur, quod ipsemet audiverit Testatoris circa præfata legata voluntatem: etiam si Testamentum neque requiritur ad legata solemnitate habeat, & hæres defectum solemnitatum excipiendi objiciat.

80 Item habetur l. fin. c. de Fideicommissis, ubi etiam ratio reverè efficax additur, videlicet, quia propria confessio est optima probatio superans omnem aliam extraneam à testibus, vel aliunde desumptam probationem: verba Legis, rationem etiam pro conclusione nostra afferentis, sunt sequentia: Cum enim res per testium solemnitatem ostenditur, tunc & numerus testium, & nimia subtilitas Legis requirenda est: Lex etenim, ne quid falsitatis per duos forte testes Testamentum composuimus, majorem numerum testium exposulat, ut per ampliores homines perfectissima veritas reveleatur. Cum autem is, qui aliquid ex voluntate defuncti lucratur (maximè ipse hæres) acere compellitur veritatem per Sacramentum Religionem: qualis locus testibus relinquatur, vel quemadmodum ad extraneam fidem recurratur, propria & indubitata fide relicta?

81 Quæ verba & ratio Legis Conclusionem ulterius confirmant quoad illa verba, casu quo hæres ab intestato succedens ipsemet audivit, & fateatur defuncti voluntatem. Si enim hæres ab intestato voluntatem defuncti ipsemet non audivisset, & Legatarius non ex propria confessione hæredis, sed aliunde v. g. per quinque testis legatum in Testamento invalido sibi factum probaret, & præterderet, nihil ei in Foro externo deberetur, nisi expressè apposta esset clausula Codicillaris, ut supra numer. 71. jam diximus, arg. l. i. ff. de Jure Codicill. & l. Ex Testamento 29. c. de Fideicommissis. Cujus ratio ulterior est; quod Jura citata voluminose excipiunt casum, in quo hæres ab intestato ipsemet fateatur voluntatem defuncti. Exceptio autem unius firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, l. In his que ff. de Legib. ut proin in reliquis Regula sit: corruente Testamento, corruere etiam legata profana, nisi apposta sit clausula Codicillaris cir. l. Ex Testamento. 29. c. de Fideicommissis. & l. i. ff. de Jure Codicill.

82 Nec inferas: ergo Conclusio num. 77. data non subsistit, præsertim, quia Jura ibidem allegata non loquuntur de casu Testamenti, sed Codicilli. Resp. negando illatum. Ad probationem pariter ergo, Jura pro Conclusionem allegata non loqui de casu Testamenti: cum contrarium aperte non constat ex l. 16. c. h. r.

83 Resp. III. Testamentum debitis solemnitatibus destitutum non tantum quoad legata & fideicommissa, sed & quoad ipsam hereditatem, seu institutionem hæredis consequenter totum, etiam in Foro externo valet, casu, quo ille, qui alias ab intestato succederet, ipsemet audivit, & fateatur totam voluntatem Testatoris. Molina Disp. 81. n. 17. & omnes illi, qui docent solemnitates non esse

de substantia, sed tantum de forma probatoria. Inter quos numeratur Bart. in l. Nemo potest ff. de Legat. 1. & Ripa numer. 25. cum aliis. Probatur Conclusio principaliter ex l. fin. c. de Fideicommissis, ubi universaliter dicitur, quod tunc tantum numerus testium, & nimia subtilitas sit requirenda, si res (seu veritas) per testium solemnitatem ostendatur: si verò habeatur propria confessio adversarii, recurrendum non sit ad extraneam probationem. Nec dicas ibi tantum esse sermone de legatis & fideicommissis, non item de Testamentis, vel hereditate. Nam contra est; tum quia licet Lex ibidem principaliter loquatur de legatis & fideicommissis, tamen ratio ibidem apposta militat etiam de Testamentis: videlicet, quod habitâ propria confessione adversarii, utpotè probationis genere omnium fortissimo ac securissimo recurrendum non sit ad probationes alias: ubi autem eadem est ratio, eadem est etiam Legis dispositio, l. Illud ff. ad Leg. Aquil. Tum quia, dum dictam rationem allegat, eam etiam in Testamento procedere expressè affirmat; prout patet examinatè textum numer. 80. allegatum, præsertim illa verba: Lex enim ne quid falsitatis incurrat per duos forte testes composuimus Testamentum, majorem numerum testium exposulat, ut per ampliores homines perfectissima veritas reveleatur: ubi, ut vides, expressè loquitur etiam de Testamentis, & tamen dicit, quod tunc tantum testium numerus, & Joris subtilitas sit adhibenda, si per testium solemnitatem quis Testamentum probare velit: e contra verò si propria adversarii confessio habeatur, necesse non sit, ut ad extraneam fidem decurratur, propria, ac indubitata fide (confessione nempe propria) relicta; prout contextus habet.

Confirmatur primò. Ratio & finis Legis solemnitatem præferentis solus & unicus est, ut in Testamento quævis evitetur fraus, & perfectæ, atque securæ habeatur veritas cir. l. fin. c. de Fideicommissis. ibi: Lex etenim, ne quid falsitatis incurrat per duos forte testes composuimus Testamentum, majorem numerum testium exposulat, ut per ampliores homines perfectissima veritas reveleatur: atque hæc ratio, & finis nunquam habet locum in Testamento, cujus tenorem hæres ab intestato ipsemet audivit & fateatur; cum in tali Testamento nullo modo possit contingere fraus per solemnitatem evitanda, & e contra ipsa veritas æquè imò magis habeatur per confessionem propriam adversarii, quam per dictam Juris solemnitatem; hoc ipso quod propria confessio juxta omnes sit omnium optima ac plenissima probatio, vel potius probationis relevator, prout amplius dictum est Lib. 2. Tit. 18. de Confessis. num. 12. & seqq. Ergo Lex solemnitates præscribens non se extendit ad dicta Testamenta; præsertim, cum juxta illud vulgare, ratio Legis, sit anima Legis, ac cessante ratione Legis, cesset Lex ipsa, l. In omni ff. de Adopt. iplaque intelligentia dictorum ex causis dicendis sit assumenda c. Intelligentia de S. V.

Confirmatur secundo. Leges irritantes Testamenta debitis solemnitatibus destituta fundantur in presumptione fraudis pro Jura hætenus, præsertim num. præced. ex l. fin. c. de Fideicommissis. citata ibi: Lex etenim ne quid falsitatis incurrat Testamentum &c. ergo ubi abest, vel adesse non potest fraus, ibi Lex non obligat, vel illuc se non extendit; cum præscriptio cedat veritati, arg. c. Tua nos. & c. Is, qui fidem. de Sponsal. atqui in Testamento, quod hæres alias ab intestato succedens audivit, & fateatur, abest, imò nunquam adesse potest fraus, ergo ad illud se non extendit.

Ad hoc argumentum respondent Covarruvias de 86 Testament. cap. 10. num. 15. Klingensperger lib. 2. Tit. 10. quest. 8. & Adversarii communiter, distribuendo

guendo. Anteced. Leges irritantes Testamenta fundantur in presumptione fraudis universalis, conceduntur in presumptione fraudis particulari, negant. Eodem modo distinguunt consequens, & ulterius dicunt, ad hoc, ut Lex cessare, vel non obligare dicatur, non sufficere, quod cesset in casu particulari, sed cessare debere in universalis, quod fieri non putant in casu nostro.

87 Verùm hæc responsio potius firmat nostram probationem, quam quod infringat; quia non tantum in particulari, sed in universalis cessat ratio Legis in casu Conclusionis, eò quod non tantum in uno vel alio, sed universaliter in omni Testamento per partem adversam confessato abest fraus, omneque periculum illius, adeò ut non tantum aliqua fraus nunquam subsistit, sed nec subesse possit, hoc ipso quod hæres ab intestato tanquam adversarius Testamentum minus solemnè impugnat, ipsemet sciat, & juxta suppositum fateatur, hanc reverè fuisse Testatoris voluntatem.

88 Confirmatur tertio. Inter condiciones ad Legem requisitas est etiam; quòd sit necessaria & utilis, can. 1. Dist. 4. atqui Lex ad evitandas fraudes, & acquirendam de voluntate Testatoris veritatem præscribens solemnitates Juris, non est necessaria neque utilis, sed superflua & inutilis in ordine ad Testamenta per hæres ab intestato confessata; hoc ipso, quòd in illis fraus aliqua subesse nunquam possit, & insuper ubi abest confessio partis adversæ, alia probationis media ad eruendam veritatem amplius necessaria non sint, juxta dicta l. 2. Tit. 18. de Confessis. n. 12. & seq. nec attendere possit Judex subtilitatem Juris, quando obest veritati, arg. l. Sicut re corporali. ff. Quibus modis Pign. vel hypoth. solv. ergo præfata Lex ad memorata Testamenta se non extendit. Et profectò negari vix potest, superfluum, ac inutilem, imò injustum fore Legem, si habita per indubitatum ac infallibilem probationem, confessionem nempe propriam partis adversæ, statueret, ut eadem veritas per probationis media minus certa, & fallibilis adhuc probaretur: ita quidem, ut si per incerta hæc probationis media, veritas non probetur, probatio certa & infallibilis non respiciatur: prout considerantè patet.

89 Objicies textus Juris num. 75. citatos, vi quorum omnia Testamenta declarantur nulla, quæ requisitis Juris solemnitatibus carent; ergo etiam Testamentata per partem adversam confessata. Resp. I. Distinguendo Anteced. Declarantur nulla illa Testamentata, in quibus potest esse periculum, vel suspicio fraudis, conceditur: illa, que ab omni suspicione & periculo fraudis sunt aliena, seu quæ fraudi subjacere non possunt, negatur Anteced. Distinguo alterè: declarantur nulla omnia Testamentata quæ non à Jure habentur excepta, transeant; quæ excipiuntur, uti sunt Testamentata confessata per partem adversam l. fin. c. de Fideicommissis, negatur. Instabis, experientiâ ac consuetudine universalis habeatur, quòd Testamentata quæcunque etiam confessata, in Foro externo pro irritis habeantur, consuetudo autem est optima Legum interpretis; Resp. negando anteced. quia quamvis in Foro externo consuetudo talis & praxis Legibus conformis vigeat quoad Testamentata solemnitatibus destituta, quibus pars adversa non interfuit, vel se interfuisse, & voluntatem defuncti audivisse negat; tamen eadem non habetur quoad Testamentata per partem adversam modo supra dicto confessata, hoc ipso, quòd talia Testamentata rarissime vel nunquam fiunt: tum quia, si Testator heredem alius ab intestato successurum ab hereditate excludit, illiusque loco alium heredem instituit, excludendum præsentem esse, dum Testamentum fecit, non facile patiat, nec ei aliquid

desuper communicare, sed potius ad averiendam averionem animum omnia abicendere solet. Tum quia est in casu rarissimo hæres ab intestato succedens, sed per Testamentum exclusivè voluntatem Testatoris præfens audivit, tamen hoc utpotè sibi nocivum facile non fateretur, consequenter actus, ex quibus praxis, & consuetudo allegata fieret, vel facta existeret, vix ostendi queant.

Manet itaque, quòd Testamentum requisitis solemnitatibus destitutum valeat, etiam quoad hæres institutionem, casu quo pars adversa, hæres nempe ab intestato succedens ipsemet Testamento interfuit, & fateatur, se ipsum à Testatore hanc voluntatem ac dispositionem audivisse, est deinde ob defectum solemnitatis Testamentum impugnet. Quòd si verò interfuit, negat autem se interfuisse, & præsentem audivisse Testatoris voluntatem, potest si hæres institutus deferre juramentum, eumque adigere, ut juret, se Ultimam Voluntatem Testatoris non audivisse, prout in simili ex Jure diximus supra n. 79. De legatis, & fideicommissis & de Testamentis patet ex l. fin. c. de Fideicommissis. Molina Disp. 81. num. 17.

§. V.

De Necessitate solemnitatum pro Foro interno; ubi etiam de solemnitatibus de Jure Canonico requisitis.

S U M M A R I U M.

- 91 Status questionis proponitur.
- 92 Doctores docentes, solemnitates pro Foro interno non esse necessarias, conatur id probare ex Jure.
- 93 Et ratione, videlicet, quia Leges fundantur in presumptione.
- 94 Valent proin secundum ipsos Testamentata minus solemnita in Foro interno.
- 95 Enumerantur Doctores, & fundamenta sententiæ dicentis, solemnitates Testamentata etiam in Foro interno esse necessarias.
- 96 Sententiæ quædam media proponitur.
- 97 Distinguendum est inter Testamentata, quibus interfuit hæres ab intestato, & inter ea, quibus non interfuit.
- 98 In casu, quo hæres ab intestato interfuit Testamento, defunctique voluntatem percepit, valet Testamentum minus solemnè in Foro interno quoad legata.
- 99 Imò etsi neget, dummodo reverè interfuit, & audivit voluntatem defuncti.
- 100 Probatur ex Jure.
- 101 Testamentum minus solemnè, quod hæres ab intestato ipse percepit, valet in Foro interno etiam quoad hereditatem.
- 102 Hinc potest tam hæres, quam legatarii tutâ conscientia relictam in tali Testamento hereditatem vel legata accipere & retinere.
- 103 Teneurque ab intestato ea illis restituere.
- 104 Quòd si non restituat, possunt hæres & legatarii scripti uti occultâ compositione, vel agere contra eum. Et num. seq.
- 106 Testamentum minus solemnè, cui hæres ab intestato non interfuit, valet in Foro interno, nisi hæres ab intestato excipiat.
- 107 Testamentum minus solemnè parit obligationem naturalem.
- 108 De Jure gentium quivis facere potest Testamentum.
- 109 Quòd Testamentum minus solemnè pariat obligationem naturalem, probatur à simili.

- 110 Lex irritans actum ob presumptionem fraudis, non obligat in conscientia in casu, quo fraus abest.
- 111 Actus de natura validus valet in Foro interno, etsi a Lege irritetur.
- 112 Leges prescribentes Testamenti solemnitatem non tollunt obligationem naturalem in Testamento minus solemnem.
- 113 Rejicitur regula Haunoldi.
- 114 Et ponitur vera regula, quando Lex irritans contrarium, tollas etiam obligationem naturalem.
- 115 Probatur ex Jure, quod Leges solemnitatem requirentes, non tollant obligationem naturalem.
- 116 Respondetur ad fundamenta Adversariorum. Et n. seq.
- 118 Testamentum minus solemnem post Judicis sententiam nec in conscientia valet.
- 119 Probatur ratione.
- 120 Probatur a simili.
- 121 Judex auctoritate Divina judicat.
- 122 Objicitur ex c. Cum esses h. t. quod Leges Civiles solemnitatem requirentes sint contra Jus Divinum.
- 123 Respondetur, & duobus n. seq.
- 126 Leges Civiles solemnitatem prescribentes non sunt contra Ecclesiam consuetudinem.
- 127 Non fundantur in particulari, sed generali presumptione fraudis.
- 128 Veritas requiritur adminicula Legis. Et n. seq.
- 130 Obligatio naturalis duplex est efficax, & inefficax.
- 131 Corollarium.
- 132 Et doctrina practica.
- 133 Solemnitas de Jure Canonico requisita, quae? Jus Civile est servandum etiam in Foro Canonico, ubi expressè a Canone non est correctum. Ibid.
- 134 Solemnitas Canonica eodem modo est de substantia Testamenti, quo solemnitas Civilis.
- 135 Unumquodque Jus quoad solemnitatem est servandum in suo Foro.

91 **Q**Uæritur. An etiam pro Foro interno necessarier sint solemnitates à Jure Civili ad Testamentum requisitæ, ita ut sine illis Testamentum factum non subsistat? Hæc quæstio celeberrima est, non tantum quia & summè controversa inter Doctores, sed & quia summè practica, & vix non quotidiana est. Quam proin exactè ac conscientiosè discutere, vel idèd etiam expedit, imò necessarium videtur, quod in ea non liceat sequi probabilem reliquæ probabiliori, quia ejus materia concernit, & tangit interesse ac præjudicium tertii, in cujusmodi quæstionibus illicitum esse, reliquæ probabiliori, sequi probabilem, ordines fatetur, prout amplius dictum est in Theologia nostra Morali Tract. I. Dist. 3. qu. 4. §. 2. & 3. Ut autem veritas magis elucet, placet sententias aliorum cum fundamentis eorum præmittere, ac dein nostram mentem aperire.

Tres igitur celebres circa hanc quæstionem sententiarum Doctores sunt. Prima dicit, solemnitates à Jure Civili præscriptas, pro Foro interno non esse necessarias, valere proin in dicto Foro Testamentum, etsi unè, vel pluribus hujusmodi solemnitatibus careat, dummodo aliunde sufficienter constat de voluntate Testatoris. Ita docent Fagnanus in c. Cum esses. h. t. Abbas in idem c. Cum esses. Molina Disp. 81. Lessius de Jure & Juslit. lib. 2. cap. 19. dubit. 3. Maffrius Disp. 4. Theolog. Moral. numer. 52. Sannig Disp. 12. de Juslit. qu. 3. n. 9. Jafon in l. Cum quis. 10. C. de Jur. & facti ignor. Clarus §. Testa-

mentum. qu. 90. & alii, qui opinionem suam probare conantur duplici præcipuo fundamento. Primum desumunt ex Legibus suprâ num. 77. & seq. citatis, utpote vigore quarum ultima dispositio abique debitis solemnitatibus facta subsistit, casu quo aliunde, ex confessione nempe hæredis ab intestato de voluntate Testatoris constat.

Secundum fundamentum eorum est; quod Leges Civiles solemnitatem Testamentorum prescribentes fundentur in presumptione fraudis l. fin. C. de Fideicommiss. ibi: Lex etenim, ne quid falsitatis incurrat per duos fortè testes compositum Testamentum, majorem numerum testium exigit &c. Atqui præsumptio credit veritatis, consequenter si aliunde sufficienter constat de voluntate Testatoris, omnemque fraudem abesse, clarè dignoscitur, Leges in conscientia saltem non obligant.

Hinc inferunt, quod licet in Testamento solemnem Scripto vel non adessent septem testes, vel ex septem unus vel plures ad testandum essent inhabiles, vel alia similibus solemnitatibus deesset, Testamentum in Foro interno nihilo minus valeret; consequenter hæredem institutum tutissimè conscientia accipere ac reunere posse hæreditatem, sicut & legatarios legata: e contra hæredem ab intestato sine peccato mortali non posse impugnare tale Testamentum, & teneri ad restitutionem, si impugnans in Foro externo causam lucratur: item posse legatarios, & hæredem in tali solemnitate deservitum Testamento, uti occultà compensatione, casu quo hæres ab intestato hæreditatem & legata eidem non restitueret.

Secunda sententia dicit, solemnitates Juris Civiles non tantum pro Foro externo, sed etiam interno absolutè, & ad substantiam esse necessarias, adeò ut hæredes, & legatarii vi Testamenti solemnitate præscripta carentis, nec aliquid accipere, nec si jam receperunt, illud tutà conscientia retinere valeant, sed hæredibus ab intestato cuncta relinquere, vel restituere graviter obligentur, quantumcumque de voluntate Testatoris certò constat. Ita docent Covarruvias de Testam. cap. 10. n. 12. Herinx Disp. 2. qu. 4. de Testam. Haunoldus tract. 6. cap. 1. Controv. 3. Vaquez de Testam. cap. 3. n. 4. Salas Disp. 16. qu. ult. n. 52. Bonacina, Diana, Lugo, Dicaflillo, & alii. Fundamentum hujus sententiæ præcipuum duplex est. Primum quod Leges Civiles requirentes solemnitatem ad Testamentorum valorem justæ sint, uti supponunt: Lex autem justa in foro externo, est etiam justa & obligat pro foro interno per ea, quæ de Legibus diximus Lib. I. tit. 2. de Constitut. Secundo quia ad valorem cujuscumque actus requiritur voluntas, & potentia arg. c. Cum super. 22. de Offici. & potest. Deleg. nemo autem testari potest sine solemnitatibus à Jure Civili præscriptis per textum num. 75. allegatus: ergo.

Tertia sententia docet, mentem Legislatorum solemnitatem Testamentorum præscribentium fuisse, Testamentis minus solemnibus resistere tantum civiliter tollendo actionem & obligationem civilem (ita videlicet, ut hæres, vel legatarius vi talis Testamenti nullam possint actionem in Foro externo instituire, aut hæreditatem, vel legatum ibidem repetere) non tamen tollere obligationem naturalem ex tali Testamento consequentem, vi cujus hæredi, vel legatario competet jus accipiendi, vel retinendi legatum, aut hæreditatem in minus solemnem Testamento sibi relictam, nisi per exceptionem Legis, vel per sententiam Judicis jus tale infirmetur, prout fieri posse fatetur, eò quod obligatio naturalis, & jus ex Testamento imperfecto consequens non sit tam firma & efficax, quin

quin exceptione Legis elidit queat: prout etiam diximus in Theologia nostra Morali Tract. 8. Dist. 3. à num. 15. & magis dicemus infra. Layman lib. I. tract. 4. cap. 17. Sa. y. Contractus. Bannes, Victor, & alii.

97 Præmissa hæc DD. controversiâ, quid nos sentiamus, per sequentes Conclusiones indicabimus; prius tamen notandum duximus, quosdam Doctores nec propriam sententiam solide probare, nec fundamenta contraria sufficienter solvere posse ex eo, quod sine ulla distinctione de hac controversia conclusionem universalem ponant; cum tamen omnino facienda sit distinctio inter Testamenta, quibus hæres aliis ab intestato succedens interfuit, voluntatemque defuncti ipse percepit: & inter Testamenta, quibus dictus hæres non interfuit. Itaque

98 Resp. I. In casu, quo hæres ab intestato succedens ipsemet percepit voluntatem defuncti, non sunt necessarier alia Juris solemnitates ad hoc, ut hæres in Foro interno obligetur solvere legata, vel fideicommissa; sed tenetur ea solvere, etsi Testamentum, vel Codicillum omni solemnitate careat. Hæc Conclusio necessariò sequitur, ex Conclusione data suprâ num. 77. cum enim ibidem per varia Jura, ut l. Non dubium. 16. C. h. t. l. Esit. 2. C. de Fideicommiss. & §. fin. Instit. de Fideicommiss. hæredit. demonstratum sit, Testamentum abique solemnitate conditum, valere etiam in foro interno, multò magis valebit in Foro externo; præsertim quod unica ratio, cur in foro interno non valeret, esset, quia in Foro externo foret nullum; quæ ratio, quia cessat, Testamentum hujusmodi in Foro interno, quoad legata, & fideicommissa procul dubio valebit, & obligabit. Hanc tenent omnes n. 92. citati, ut pote qui universaliter, consequenter etiam in hoc casu docent Testamentum carens solemnitatibus civilibus, valere saltem in Foro interno.

99 Resp. II. Pariter quoad legata & fideicommissa in foro interno valebit, & obligabit, in casu quo testis ab intestato revera ipsemet audivit, & percepit Testatoris voluntatem; etsi id neget, seu non confiteatur. Ita rursus omnes numer. 92. citati, videlicet Fagnanus, Abbas, Molina, Clarus, Jafon, Lessius, Sannig, Maffrius. Probatur hæc Conclusio, simulque confirmatur præcedens sequenti fundamento. Testamentum quodvis carens Juris solemnitate parit saltem obligationem naturalem, vi cujus alicui competit jus accipiendi & retinendi ea, quæ ei naturaliter debentur: ergo obligat in conscientia. Antecedens patebit infra numer. 107. Conseq. probatur inde, quod juxta omnes obligationis naturalis qualibet obliget saltem in foro interno, prout bene observat Fachin. lib. 4. cap. 5. arg. c. Novit. de Judiciis.

100 Confirmatur Conclusio specialiter etiam ex l. Esit. 2. C. de Fideicommiss. ubi fideicommissum in Testamento minus solemnem relictum & per hæredem solum, repeti non amplius posse statuitur, ob sequentem rationem, quod non ex sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi defuncti voluntati satisfactum esse videatur: si ve quod non idèd fideicommissum solverit, quia ex scriptura insolemni cognovit defuncti voluntatem, sed ex conscientia, id est; quia ipsemet scivit, & percepit defuncti voluntatem. Ex qua ratione Legis manifestè sequitur, secundum ipsummet Jus Civile ex Testamento minus solemnem oriri obligationem in casu, quo hæres ab intestato ipsemet audivit defuncti voluntatem, etsi eam audivisse non fateatur. Confirmatur ulterius, si in simili casu non oriretur obligatio saltem naturalis, posset hæres ab intestato fideicommissum vel legatum tanquam indebitè solum condicere, seu iterum repetere; Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

Nam quod indebitum per errorem solvitur, aut ipsum, aut tantumdem repetitur, l. Quod indebitum ff. de Condiç. indebit. ac in specie fideicommissum, vel legatum indebitum per errorem facti solum repeti posse exploratè Juris est. l. Fideicommissum 7. C. eod. atqui fideicommissum in Testamento minus solemnem relictum, & ab hærede solum repeti non amplius potest l. 2. C. de Fideicommiss. ergo.

101 Resp. III. Valet etiam quoad hæreditatem seu institutionem hæredis Testamentum in Foro interno, casu quo voluntatem defuncti percepit hæres ab intestato. Hæc Conclusio necessariò sequitur ex Conclusione data num. 83. ubi probavimus, valere tale Testamentum etiam in foro externo. Facit etiam pro ejus probatione ratio numer. præced. allata.

Et quidem præcedentes hæc tres Conclusiones, videlicet, quod in casu, quo hæres ab intestato succedens ipsemet percepit defuncti voluntatem, Testamentum minus solemnem in conscientia obliget, planè certum videtur ob clara Jura: quidquid sit de aliis Testamentis minus solemnibus, quorum tenorem hæres ab intestato ipsemet à Testatore non audivit, utpote de quibus clara Jura non extant. Hinc magis certa ab incertis per distinctas Conclusiones separare, & ex præmissis tribus tanquam magis certis inferre placuit. Primum, quod in casu, quo hæres ab intestato fatetur se ipsum audivisse defuncti voluntatem, possit hæres, vel legatarii in illo instituti tutissimè conscientia accipere ac retinere hæreditatem, vel legata in Testamento minus solemnem relicta.

Secundo, quod hæres ab intestato in conscientia graviter obligetur, juxta tenorem Testamenti, hæreditatem, vel legata hæredi, aut legatariis institutis tradere, aut relinquere, etsi Testamentum solemnitatibus careat.

Tertio, quod si tradere recuset, contra eundem hæres & legatarii instituti agere possint in Foro externo: vel si id sine incommodo aut periculo suo facere nequeant, uti compensatione occultâ per ea, quæ de compensatione occultâ diximus suprâ Tir. de Solut. n. 57.

Quarto, quod idem possint hæredes & legatarii instituti, casu quo hæres ab intestato ipsemet à Testatore percepit quidem Ultimam Voluntatem, sed id neget: possunt, inquam, vel contra illum in foro externo agere, offerendo eidem juramentum juxta dicta suprâ num. 90. vel, si illum falsò juraturum prudenter timeant, aut aliis absque incommodo & periculo eundem convenire in Foro externo nequeant, uti compensatione occultâ, ob fundamenta cit. Tir. de Solut. n. 57. allegata.

106 Resp. IV. Etiam in casu, quo hæres ab intestato facti Testamento non interfuit, nec ab ipso Testatore dispositionem ultimam percepit, valet Testamentum minus solemnem in Foro interno in tantum, ut hæredes, ac legatarii instituti tutà conscientia hæreditatem, vel legata accipere & retinere valeant, nisi exceptione Legis, vel Judicis sententiâ impediatur. Layman lib. I. tract. 4. cap. 17. Sa. y. Contractus. n. 1. & y. Hæreditas. n. 3. Bannes, Victor, Sotus, & alii; idem in Theologia nostra Morali Tract. 8. Dist. 3. n. 15. diximus. Probatur Conclusio: quando sufficienter probari potest, quod Testamentum carens Juris solemnitate parit saltem obligationem naturalem, & quod hæc obligatio naturalis per Leges sublata non sit, tunc revera hæredi vel legatariis in illo institutis competit jus accipiendi ac retinendi, quod eis naturaliter debetur; atqui Testamentum minus solemnem parit obligationem naturalem, quæ per Leges sublata non est: ergo. Major patet; tum quia effectus præ-

cipuus obligationis naturalis est, tribuere creditori jus accipiendi ac retinendi naturaliter debitum, si absque exceptione solvatur, prout diximus in Theologia nostra Morali Tract. 8. Dist. 3. n. 18. & est communis DD. Tum quia obligatio naturalis sufficit ad transferendum dominium; prout pariter communis DD. habet. Tum etiam quia obligatio naturalis quævis saltem in conscientia vim habet, nisi elidatur.

107 Minor quoad primam partem, videlicet, quod pariat saltem obligationem naturalem, probatur ex l. *Esfi. 2. de Fideicommissis*. ubi Legislator prohibet repetitionem fideicommissi ex minus solemnium Testamento soluti, & hoc ipso agnoscat obligationem saltem naturalem ex tali Testamento oriri; alius enim fideicommissi sine obligatione aliqua, consequenter indebiti soluti restitutionem minime prohiberet; cum omne id, quod absque obligatione aliqua per errorem solvitur, repetiri possit, l. *Quod indebitum. 7. ff. de Condit. indebit.* ac in specie fideicommissum, vel legatum indebitum per errorem solum repeti posse, explorati Juris sit, uti habet cit. l. *Fideicommissum. 7. C. eod.*

108 Probatur eadem Minor ulterius: Factio Testamenti est Juris naturalis, & gentium, sive, non solo Jure positivo humano, sed de Jure naturæ & gentium quisvis facere potest Adversarii, uti patebit ex dicendis infra §. de *his, qui facere possunt Testamentum*, ergo. Nec requiritur ad illud Juris solemnitas, sed valet de Jure naturali absque dicta Juris Civili solemnitate, c. *Cum esset. h. t.* ergo etiam de Jure naturali obligationem parit, cum hæc ex Jure gentium per quemvis consensum, quem quis præstare potest, semper oritur, prout amplius diximus in Theologia nostra Morali tract. 8. dist. 1. n. 29. & 33. arg. l. *Cum amplius ff. de Reg. Jur.* ibi: *Is natura debet, quem gentium Jure dare oportet, cujus fidem secuti sumus.*

109 Probatur à simili in aliis actibus, pactis, & contractibus, v. g. Electione, Alienatione rerum Ecclesiasticarum, Contractibus Minorum &c. Quamvis enim ad horum valorem Jura certas requirant solemnitates, nullamque & irritum ipso facto pronuntiant quemcumque talem actum, qui sine præscripta solemnitate celebratus est; uti de Electione constat ex c. *Quia propter. de Election.* De Alienatione rerum Ecclesiasticarum ex can. *Sine exceptione caus. 12. q. 2. c. Si quis. 6. de Rebus Ecclesiast. alien. cum concordantiis, & amplius diximus supra tit. 13. de Rebus Ecclesiast. alien. §. 3. n. 52. De Contractibus Minorum per ea, quæ diximus Lib. 1. tit. 35. de Pactis §. 2. Nihilominus dicti actus & contractus obligationem naturalem pariunt pro Foro conscientie, ibique valent ad id, ut sine debita solemnitate electus Beneficium, contrahens cum Ecclesiæ Rectoribus rem Ecclesiasticam emptam; contrahens cum Minori rem vi contractus sibi competentem, tuâ conscientia accipere, ac etiam retinere valeant, nisi exceptione Legis, vel Judicis sententia in contrarium fiat: prout habet communissima DD. & dictum est supra cit. Tit. 13. de Rebus Ecclesiast. non alien. Ergo idem dicendum de Testamento, videlicet, quod licet absque præscriptis solemnitatibus factum per Leges pronuntietur ipso facto nullum ac irritum, pariat tamen obligationem naturalem pro foro conscientie; ibique valet, ita, ut nisi exceptio Legis, vel sententia Judicis in contrarium obstat, hæredes & legatarii in Testamento minus solemnium instituti tuâ conscientia hæreditatem, & legata accipere ac retinere valeant: cum non sit major ratio de uno quam altero,*

Confirmatur Conclusio. Quodcumque actus aliquis à Lege fundatus, in præsumptione fraudis dicitur nullus, valet adhuc in conscientia, ibique obligationem, & effectum suum parit, ita ut tuâ conscientia accipere, ac retinere quis valeat, quod ratione actus aliis debetur, si revera fraus abest, uti docet Menochius de Præsumpt. lib. 1. Præsumpt. 80. Innocentius in c. *Quia plerique num. 3. de Immunit. Eccles. Abbas ibid. n. 5. & in c. Is qui fidem. n. 4. de Sponsal.* cum aliis, ex illa ratione, quod in Foro conscientie spectetur veritas, eique cedere debeat quævis præsumptio; ergo idem dicendum erit de Testamentis, eò quod Leges solemnitates ad valorem illius requirentes, pariter fundentur in præsumptione fraudis, l. *fin. C. de Fideicommissis.*

Confirmatur ulterius. Quando actus & contractus aliquis de Jure naturæ valet, & à Lege tantum communitur, & non plenissime quoad utrumque Forum irritatur, valet in Foro interno juxta dicta Lib. 1. tit. 2. de Constit. §. 11. n. 255. atqui Testamentum absque solemnitatibus civilibus factum, de Jure naturæ est validum arg. c. *Cum esset. 10. h. t.* nec plenissime irritatur à Legibus, uti statim patebit: ergo.

Probatur nunc Minor num. 106. posita, etiam in quoad secundam partem, scilicet, quod obligatio naturalis ex minus solemnium Testamento in conscientia conflurgens non fuerit sublatâ, ex hæc ratio; quia ex nulla Lege id probari potest. Nec dicas, hoc ipso, quod Jura delectant ipso facto nullum Testamentum sine solemnitate debita factum, auferent etiam obligationem naturalem. Nam contra est, quod plures actus sine præscripta solemnitate facti dicantur à Jure nulli ac irriti ipso facto, & tamen obligationem naturalem pariant, valeantque in Foro interno juxta dicta supra num. 106.

Nec inles cum Haunoldo tract. 6. cap. 1. *Contra. 3. num. 30.* quodcumque verba Legis sunt absolute irritantia contractum vel actum aliquem, & non explicant alicui, se nolle tollere obligationem naturalem, tunc censendæ sunt etiam obligationem tollere, atque pro Foro interno irritare; atqui verba Legis absolute irritant Testamenta absque solemnitatibus debita facta, l. *Hæc consuetudinis 21. C. h. t. & §. 7. Instit. Quibus modis testam. infirm.* ibi: *Nam imperfectum Testamentum sine dubio nullum est, cum concordantiis: & nulli declarant, se obligationem naturalem nolle tollere; ergo. Nam contra respondetur, negando Majorem; quia Jura Alienationem rerum Ecclesiasticarum sine debita solemnitate factam absolute irritant, nec alicubi declarant, se nolle tollere obligationem naturalem; & tamen alienatio dicta obligationem naturalem parit, ac in Foro interno valet, donec exceptione Legis, vel sententia Judicis rescindatur, seu potius nulla declaratur, juxta dicta num. 109.*

Hinc loco falsæ regulæ, & majoris ab Haunoldo posite ad dignoscendum, an Leges irritantes actum, vel contractum, etiam in Foro interno obligent, ipsamque obligationem naturalem tollant; aliam, eamque duplicem ponimus regulam supra num. 111. jam positam, videlicet: quando actus aliis de Jure naturæ est validus, & tantum communitur irritatur à Lege positiva humana, tunc retinet obligationem naturalem, valetque in Foro conscientie, si nemo se opponat, & exceptione Legis utatur, vel Judicis sententia non obstat: eontrâ si actus vel contractus ipso Jure naturæ est irritus, v. g. quia deest consensus agentis, vel si de Jure naturæ validus plenissime à Jure irritatur quoad utrumque Forum, tunc etiam obligationem

tionem naturalem tollit, ac pro Foro interno obligat; uti constat de Matrimonio sine presentia testium, & Parochi celebrato, juxta Concilium Trident. Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim. Vide quæ diximus Lib. 1. tit. 2. de Constit. §. 11. De Lege irritante.

115 Deinde negatur etiam Minor Haunoldi num. 113. posita, videlicet, quod Leges Civiles irritantes Testamentum sine debita solemnitate factum, nulli declarant, se nolle tollere obligationem naturalem; quia contrarium satis clarè patet ex l. *Esfi. 2. C. de fideicommissis.*

116 Respondetur modò etiam ad fundamenta Adversariorum, numer. 92. posita: & quidem ad Primum: *Lex justa in Foro externo est etiam justa, & obligat pro Foro interno*, negatur, id universaliter ac indistinctè procedere; quia limitatur in Lege irritante, utpote quæ licet sit justissima in Foro externo, tamen in Foro interno non semper, & universaliter obligat in casu, quo irritant actum & contractum ex Jure naturæ validum, sed tunc solummodò, quando similem actum plenissime, & quoad utrumque Forum, tollendo etiam obligationem naturalem irritat juxta dicta. Confirmatur Responso: si dictum Adversariorum fundamentum universaliter ac indistinctè etiam in Lege irritante procederet; sequeretur, quod etiam Electio, & Alienatio rerum Ecclesiasticarum sine Juris solemnitate celebrata, in Foro interno essent nullæ, etiam nullus se opponeret; hoc ipso, quia à Jure delectantur ipso facto nullæ & irritæ, c. *Quia propter. de Election. Clem. 1. & Extrava. Ambrosio de Rebus Eccles. alien. atqui sequela est contra communissimam DD. ac ipsosmet Adversarios: ergo.*

117 Ad secundum fundamentum: *Ad omnem actum requiritur voluntas & potentia*; sed sine solemnitate nullus potest facere Testamentum, ergo. Respondetur negando Minorem, vel distinguendo: sine solemnitate nullus potest facere Testamentum ita, ut valeat, & firmiter subsistat in Foro externo, conceditur Minor: ita ut valeat in Foro interno, conceditur Minor. Ratio jam patet ex dictis: Dicitur autem notanter in Conclusionem numer. 160. data: *Nisi exceptio Legis vel Judicis sententia impediantur*, ob Conclusionem sequentem, qua ad quæstum numer. 91. positum.

118 Resp. V. Quando hæres ab intestato Testamentum sine solemnitate debita factum, beneficio Legis utens, impugnat, & Judex, prout debet, idem irritum declarat, tunc etiam in Foro interno erit irritum; ita ut nec naturaliter amplius, obliget, vel valeat; consequenter hæres ab intestato vi illius, hæredibus, vel legatariis institutis hæreditatem, & legata tradere nec in conscientia teneatur; eontrâ hæredes, & legatarii, si quid jam acceperunt, illud restituere obligentur. Menochius de Præsumpt. lib. 1. Præsumpt. 80. num. 7. Layman Lib. 1. tr. 4. cap. 17. Sotus lib. 4. de Justit. q. 5. a. 3. Sa. §. *Hereditas. numer. 32. v. Testamentum. numer. 3. Victor*, & alii, quorum sententia amplè jam sumus in Theologia nostra Morali Tract. 8. Dist. 3. num. 15. & seqq.

119 Probatur Conclusio primò ex doctrina generali de Legibus irritantibus, videlicet, quod si actum vel contractum ex natura aliis validum non plenissime irritat, valet quidem in conscientia, si nemo se opponat, nec aliud Judicis sententia delectat; non autem, si quis se opponat, & Judicis sequatur sententia; ut cum communi aliorum docuimus Lib. 1. tit. 2. de Constit. §. 11. num. 255. consequenter cum hujusmodi Leges irritantes sint etiam illæ, quæ præscribunt certam solemnitatem ad Testamentum, pariter de iis erit discurrendum.

Probatur secundò à simili, exemplis ex Jure de sumptis. Sic enim sine debita forma Electus, quamvis tuâ conscientia Beneficium retinere possit, si nemo se opponat, vel Electionem impugnat, c. *Quod sicut de Election.* tamen postquam Judex illam nullam declaravit, etiam in conscientia obedire ac Beneficium dimittere tenetur: ut cum communi diximus supra Lib. 1. tit. 6. de Election. pariter licet contrahens cum pupillo sine autoritate Tutoris, naturaliter, & in Foro interno valide agat, tuâque conscientia retinere valeat, quod vi talis contractus accepit, arg. l. *Sichum ff. de Solut.* Nihilominus quando Judex contractum nullum & irritum declarat, acceptum restituere tenetur; prout ipsi fatentur Adversarii. Idem est in casu Alienationis rerum Ecclesiasticarum juxta dicta supra tit. 13. §. 3.

Ratio horum, & ulterior Conclusionis probatio est; quod sententia justa in Foro externo (nisi fundetur in falsa præsumptione) sit etiam servanda in Foro interno, prout cum communissima aliorum docet Sanchez lib. 1. Decalog. cap. 10. n. 11. Covarruvias, de Testam. cap. 10. n. 12. & alii, ex illo fundamento, quod Judex ex auctoritate Divina sententiam ferat, eique justè judicanti ut obediantur, velint Leges Divinæ ac humanæ, arg. can. *Quo Jure dist. 8. c. Omnis anima. 2. de Consensu. ibi. Omnis anima sublimioribus potestatibus subiecta sit. c. 2. de Majorit. & obedient. ibi: In libro Regum legitur, qui non obedierit Principi, morte morietur. Deut. 17. Præceptum Deus, venies ad Judicem, qui fuerit illo tempore, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad sinistram. Atqui sententia annullans Testamentum minus solemne est justa, hoc ipso, quod sit juxta Leges, l. *Hæc consuetudinis. c. h. t.* & Judex juxta Leges judicare debeat, l. *in rem. 14. C. de Judicis.* Nec fundatur in deceptione, vel falsa præsumptione; cum Judex illam pronuntiare, Testamentumque minus solemne irritum declarare teneatur, etiamsi certò fiat, nullam subesse fraudem, sed esse verissimam voluntatem Testatoris, uti bene advertit Covarruvias citans unanimes DD.*

Obijcies primò cum Fagnano in c. *Cum esset. 10. 122 h. t.* Leges Civiles requirentes solemnitates, sunt injustæ ac contra Jus Divinum & naturale, SS. Patres, ac universalem Ecclesiæ consuetudinem; ergo etiam sententia illis innixa: consequenter nec ista, nec illæ in conscientia obligare unquam possunt. Anteced. probatur ex cit. c. *Cum esset. 10. h. t.* ubi Pontifex ita loquitur: *Proposuisse talem in tuo Episcopatu consuetudinem obinere, quod Testamenta, quæ sunt in ultima voluntate, penitus rescindantur, nisi cum subscriptione septem, vel quinque testium fiant, secundum quod Leges humanæ decernunt. Quia verò à Divina Lege & SS. Patrum institutis, & à generalis Ecclesiæ consuetudine, id esse noscitur alienum, cum scriptum sit, in ore duorum vel trium testium sit omne verbum, præscriptam consuetudinem improbamus; & Testamenta, quæ Parochiani coram Presbytero suo, & tribus, vel duobus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere, sub interminatione anathematis prohibentes, ne quis hujusmodi audeat rescindere Testamenta. Hæc ibi: ex quibus Fagnanus loc. cit. inferit, & ad longum probare conatur, Leges Civiles solemnitates requirentes, esse reverà contra Jus Divinum; indeque tanquam iniquas, irritabiles, ac foveentes peccatum esse declaratas à Jure Canonico, consequenter nullatenus servandas.*

Sed respondetur negando Antecedens. Ad textum pro probatione allegatum dico, per illum plus non probari, quam quod Leges Civiles solemnitates

tatem Testamentorum præscribentes sunt præter, non verò contra Jus Divinum: cum enim dicti Capituli, *Cum esset*. constitutio se fundet in Lege Divina: In ore duorum vel trium testium stet omne verbum, hæc autem Lex tantum vult, quòd nemo possit condemnari ad testimonium pauciorum, quam duorum, vel trium, ut patet ex *Deut. cap. 17. v. 6. ibi: In ore duorum, aut trium testium peribit, qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium.* Vel quòd, quantum est de Jure Divino, ad veritatem comprobendam sufficiat duorum, vel trium testimonium, ut colligitur ex Joanne 8. v. 17. ubi Christus ad Judæos ait, *in lege vestra scriptum est; quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me, & testimonium perhibet de me, qui misit me pater: non autem quòd generaliter in quavis causa debeat sufficere testimonium duorum vel trium; & Lex humana statui non possit, ut in certis casibus, plurium testimonium requiratur.* Covarruvias *cap. 17. num. 7.* citans fermè unanimes *arg. c. Licet 23. de Testibus.* ibi: *Licet quædam sint causæ, quæ plures quam duos exigant testes, nulla est tamen causa, quæ unius testimonio quamvis legitimo terminetur.*

124 Confirmatur hæc responsio: si Lex Divina, in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, esset ita præceptiva, ut vult Fagnanus, videlicet, quòd in nullo casu liceret plurium quam duorum vel trium testimonium exigere, vel præscribere, atque in eo sensu deberet intelligi *c. Cum esset. h. t. l.* sequeretur manifestè, quòd dictum *c. Cum esset.* sibi ipsi contradiceret, & immediatè ageret contra Jus Divinum, hoc ipso, quòd ibidem præter duos vel tres idoneos testes, etiam Parochum loci requirit; qui tamen de Jure Divino nullatenus requiritur. Imò plures Canones essent contra Jus Divinum, ut *can. Præsul. 2. q. 5.* juxta quem *Præsul non condemnabitur, nisi 72. testibus &c. & can. Nullam. 3. ead. caus. & q. ubi idem disponitur.* Pariter contra Jus Divinum egisset Concilium Tridentinum, ad valorem contractus Matrimonialis requirendo præter duos testes etiam Parochum loci, *Sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 1.* sequelam autem nemo admittit: ergo.

125 Urgebis cum Fagnano *loc. cit. num. 150.* Si dicte Leges essent tantum præter, & non contra Legem Divinam, malè fuissent damnatæ sub pœna anathematis, *c. Cum esset.* quia quòd est tantum præter Legem Divinam, non est peccatum; quòd autem peccaminosum non est, anathemate non feritur: ergo. Respondetur, negando suppositum, quòd Leges Civiles solemnitate præscribentes, sub anathemate sint damnatæ, *c. Cum esset.* cum, ut legenti patet, *cit. c. non damnet Leges, sed novam condit, eamque sub pœna anathematis observari precipiat, ut proin anathematizatio immediatè non efficiat Leges Civiles, quasi verò ex se ipsis peccaminosæ, & anathemate dignæ essent, sed transgressores Legis novæ Legibus Civilibus contrariæ, quam sub anathemate (pro Territorio Pontifici subjecto) juxta statim dicenda, observari præcepit Alexander III.*

126 Inflabis cum dicto Fagnano *numer. 122.* Leges Civiles solemnitate requirentes, sunt contra generalem Ecclesiæ consuetudinem, *cit. c. Cum esset. h. t. quæ consuetudo obligat, sicut præceptum can. 1. dist. 12. & in terminis notat Abbas in cit. c. Cum esset. h. t. n. 9.* ergo. Resp. cum Klingensperger *lib. 2. In sit. tit. 10. q. 5. object. 8.* & aliis Doctoribus in *cit. c. Cum esset.* distinguendo, sunt contra consuetudinem generalem Ecclesiæ Hostiensis, de qua ibi expressè fit mentio, conceditur: sunt contra consuetudinem Ecclesiæ universalis, negatur. Plures

aliæ objectiones ex fundamentis Fagnani *loc. cit.* formari possent ad probandum, quòd Leges Civiles solemnitate ad Testamentum requirentes, sunt contra Legem Divinam, & idèò tanquam injustæ ac iniquæ à Jure Canonico reprobatæ. Verùm quia Doctrina hæc omnium fermè judicio rejicitur, ut bene notat Covarruvias *cap. 10. n. 7.* & Objectiones sint facili solutionis, eas brevitate causa hic omittimus, & ad alias solvendas pergitur.

Objicies II. Leges Civiles, sicut etiam sententia Judicis irritans Testamenta minus solemnia fundantur in præsumptione fraudis *l. fin. C. de fidei commissis.* atqui Lex & sententia hujusmodi non obligant absente fraude, eò quòd præsumptio cedat veritati, *arg. c. Tua nos. de Sponsal. ergo in casu, quo certò constat Testamentum minus solemnè absque ulla fraude esse conditum, obligare cessant, saltem in conscientia, ita, ut quamvis in Foro externo obedire, & hæreditatem ac legata relinquere, vel restituere teneantur hæredes & legatarii instituti, tamen in Foro interno uti possint occultà compensatione; sicut facere potest, qui per sententiam ad falsas testium depositiones latam, condemnatur ad solvendum, quòd non debet. Resp. cum Covarruvia *loc. cit. num. 15.* & aliis distinguendo Majorem: Leges Civiles irritantes Testamentum minus solemnè fundantur in præsumptione fraudis particulari, negatur, in præsumptione fraudis universalis, conceditur Major. Pariter distinguitur Minor: Lex & sententia Judicis fundata in præsumptione fraudis particulari, absente fraude non obligat, conceditur: fundata in præsumptione fraudis universalis, absente fraude particulari non obligat, negatur Minor & consequentia. Ad exemplum pro confirmatione adductum, negatur paritas; quia cum ibi sententia à Judice feratur, ob præsumptionem particularem, quæ videlicet supponit, testes vera deposuisse, meritò dicitur sententiam illam in Foro interno non obligare, quin per illam condemnatus uti possit occultà compensatione. Secus est in casu nostro, ubi licet in particulari casu juxta hypothesein fraus, & ratio Legis cesset, non tamen universaliter cessat periculum fraudum, quæ ob avaritiam hominum non raro contingunt, nisi eisdem per Leges irritantes Testamentum, sine requisitis solemnitatibus facta obviaretur. Hinc etiam venit, quòd etis certò ac indubitanter per testes omni exceptione majores, & in aliis casibus ad probandum sufficientes certò constaret, Testamentum absque fraude esse conditum, nihilominus si aliqua solemnitas deest, & res ad Judicium deducatur, Judex illud irritum declarare non tantum possit, sed & debeat, hoc ipso, quòd juxta Leges, quæ similia Testamenta pro nullis habent, *l. Hæc consultiissima. C. h. t. cum concordantiis, judicare teneatur, can. 3. dist. 8. Covarruvias de Testam. cap. 10. numer. 13.* Layman, & alii; quòd non fit in sententia ex falsa præsumptione particulari lata; utpote quæ justè ferri non potest, quando per legitimas probationes falsitas patet.*

Objicies III. In Foro interno principaliter spectanda est veritas, nec tenetur quis obedire Legi contra veritatem pugnantem, *c. 1. dist. 9.* ergo in casu, quo certò constat de veritate Testamenti, Leges Civiles, & sententia Judicis illud ob defectum solemnitatum irritantes non obligabunt, quin saltem occultà compensatione uti queant, etis in Foro externo ad scandala evitanda obedire debeant hæres, & legatarii instituti. Resp. negando Antecedens, utpote universaliter non verum; cum in pluribus casibus non nuda & inefficax veritas, sed veritas vestita Legibus attendi debeat. Nam, ut bene argumentatur Baldus apud Fagnanum

num in *c. Cum esset. h. t. n. 60.* quamvis amanda & attendenda sit veritas, *l. Cum ita legatum ff. de Condit. & Demonstrat.* tamen veritas debet esse condita sale Constitutum, & habere Legis adminicula, ubi illa requiritur *Jura l. Si veritas. 23. C. de Fidei commissis. & l. Bona fides. ff. Depositi.* alias certè ridiculæ & frustraneæ essent Leges certam solemnitatem ad quosdam contractus requirentes, si eisdem nec post Judicis sententiam se accommodare teneantur subditi. Nec obstat *c. 1. dist. 9.* quia hic & similes Canones loquuntur de Legibus, quæ contra Legem divinam, vel naturæ pugnant.

129 Accedit, quòd ipsi Adversarii fateantur, posse à potestate Legislativa humana certas solemnitates in contractibus observandis ita præscribi, ut his non observatis, contractus etiam in Foro interno sit nullus, quantumvis de veritate certò constet; uti constat de contractu Matrimoniali ex Concilio Trident. *Sess. 24. cap. 1. de Reform. ac de Professione Religiosa Sess. 25. de Regularib. cap. 15.* Ex quo manifestè patet, etiam in conscientia, non semper nudam veritatem, sed subinde vestitam Legibus attendi debere, quando nempe ita desiderant Jura.

130 Urgebis; juxta nos ipsos Testamentum minus solemnè parit obligationem naturalem, quæ in conscientia obligat: ergo etiam post sententiam Judicis valebit. Resp. distinguendo Anteced. parit obligationem naturalem efficacem, negatur: inefficacem, & quæ per exceptionem Legis elidi potest, uti in casu minus solemnè Ecclesiasticum, & Alienationis rerum Ecclesiasticarum, conceditur Antecedens, & negatur consequentia. Est enim duplex obligatio naturalis, efficax nempe, & inefficax, five quæ per exceptionem nempe elidi potest, ut cum aliis in Theologia nostra Morali *Tract. 8. Dist. 3. n. 18.* docuimus.

131 Et ex hæcenus dictis fit sequens Corollarium: videlicet, quòd Testamentum sine debitis solemnitatibus factum, aut sententiam Judicis, & quando nemo se opponit, pro foro interno in tantum valeat, ut hæredes, & legatarii in eo instituti, tuta conscientia accipere & retinere valeant hæreditatem, vel legata sibi in tali Testamento relicta: post sententiam verò etiam in Foro interno sit nullum, adeò, ut tuta conscientia accipere nil possint, & acceptum restituere teneantur.

132 Inferitur, quòd ex Testamento minus solemnè hæres, & legatarii hereditatem, & legatarii legata accipere, & retinere valeant. I. Si vel hæredes ab intestato ipsimet fateantur defuncti voluntatem. II. Si hæres, vel legatarius ipsimet interfuit defuncti voluntatem, beneficio Legis uti, ac excipere possunt dicendo; Amice! nihil tibi debemus; quia Testamentum invalidum est: possuntque tutissima conscientia impugnare; etis unica tantum solemnitas, v. g. sigillatio unius testis defuit; licet ceteroquin omnes testes jurato deponant de voluntate defuncti, ut cum aliis bene observat Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 17. n. 3.* Imò hæredes vel legatarii instituti, hæreditatem, vel legata jam accepta restituere teneantur, postquam Judex Testamentum nullum declaravit.

Quæritur II. Quenam solemnitates de Jure 133 Canonico requirantur in Testamento ad causam profanam? Resp. Hoc Jure plus non requiritur, quam ut admittat duo testes idonei, & Parochus loci. Ita expressè statuitur in *c. Cum esset. 10. h. t. Fagnanus cit. c. Cum esset.* intelliguntur autem per testes idoneos, non tantum illi, qui à testimonio ferendo absolute repelluntur; uti sunt amentes, infantes &c. sed etiam qui à Jure Civili in causa Testamenti testes esse non possunt: quales sunt impubes, servi, mulier, hæres &c. ut contra Ancharanum in *c. Cum esset. h. t. n. 6.* & alios bene docet Fagnanus *loc. cit. num. 26.* Ratio est; quia ubi- cunque dispositio Juris Civilis non reperitur expressè immutata, vel correctà à Jure Canonico, debet Jus Civile etiam in Foro Canonico & Ecclesiæ servari, ut cum communis aliorum ipse habet Ancharanum in *c. Canonum statuta de Constit. Joan. Andreas in c. Cum esset. h. t. num. 5.* & ibi Abbas *n. 6. arg. c. 1. De novi operis nunt.* consequenter cum Jus Canonico tantum quoad numerum testium expressè aliud statuerit *cit. c. Cum esset. h. t. reliqua solemnitas à Jure Civili ad tale Testamentum requisita, etiam in Foro Canonico observari debet, ut proin testes de Jure Canonico etiam debeant esse rogati, prout ulterius contra Ancharanum in *c. Cum esset. h. t. n. 6.* bene observat Fagnanus *loc. cit. n. 17.**

Ob eandem Juris rationem, videlicet, quòd 134 ubi in Jure Canonico non reperitur expressè contraria dispositio, Jus Civile etiam in Foro Canonico observari debeat. Ad questionem, an solemnitates Juris Canonici sint de substantia, vel forma probatoria tantum in Foro Canonico? Respondetur eo modo, quo supra §. 4. & 5. de necessitate solemnitatis Civilis responsum est, videlicet, quòd in foro externo sicut de substantia, nisi hæres ab intestato ipsimet audiverit, & fateatur defuncti voluntatem; ut proin invalidum sit Testamentum etiam in Foro Canonico, cui non interfuit Parochus, vel ubi testes non fuisse rogati, aut non debite idonei, licet aliis per duos vel tres testes satis constet de voluntate Testatoris. In foro interno autem valeat Testamentum ante sententiam Judicis, non ita post illam, juxta modum supra allegatum.

Quæritur III. Quid Juris ergo circa nume- 135 rum testium? estne observanda circa hæc dispositio Juris Civilis septem testes requirentes, an verò dispositio Juris Canonici duos tantum testes cum Parocho præscribens? Respondetur unumquodque Jus esse servandum in suo foro; ita ut in terris Romano Imperio subjectis tam in Foro Ecclesiastico, quam Civili fieri, & judicari debeat Testamentum secundum solemnitatem Civilem: in terris verò temporali Jurisdictioni Romani Pontificis subjectis, secundum solemnitatem Canonice, *c. Cum esset. h. t. præscriptum.* Glossa in *cit. c. Cum esset. 7. Improbamus.* Alexander *Consil. 146. num. 6. lib. 2. & Consil. 47. n. 2.* dicens, hanc esse communem, Baldus, Parisius, & communis aliorum apud Fagnanum in *c. Cum esset. n. 46.* Estque opinio consuetudine recepta, sicut confirmata, consequenter tenenda. Ratio est; quia ut cum communis diximus in Proœmio *num. 217.* si manifestè sit contrarietas inter Jus Canonicum, & Civile, eaque versetur circa causam profanam, quodlibet Jus in suo Foro servandum est; hoc autem fit in proposito casu: ergo. Accedit, quòd *c. Cum esset. h. t.* inferribatur Hostiensis Episcopo: Civitas autem Hostiensis est de temporali Jurisdictione Pontificis: ergo. Et hæc de solemnitatibus Testamentorum non Privilegiatorum, atque ad causas profanas.

De Testamentis Privilegiatis ad pias causas.

S U M M A R I U M.

- 136 Testamentum ad causam piam est, ubi causa pia est heres.
- 137 Causa pia nomine quid veniat?
- 138 Testamentum ad causas pias est in utroque Foro privilegiatum.
- 139 Probat ratione.
- 140 Et universali consuetudine.
- 141 Solvitur obiectio ex Jure.
 - Exceptio unius firmat regulam in contrarium.
- 142 Etiam de Jure Civili videtur Testamentum esse privilegiatum ad causas pias.
- 143 In Testamento ad pias causas requiruntur duo testes legitimi, casu quo aliunde non constat de voluntate Testatoris.
- 144 Duo testes non sunt de substantia Testamenti ad pias causas.
- 145 Testamentum ad pias causas est æque privilegiatum, ac Testamentum inter liberos.
- 146 Debent in eo adesse saltem ea, quæ requiruntur de Jure nature.
- 147 Testamentum ad causam piam valet, quando sine omni teste adest manus propria Testatoris: vel heres ab intestato ipsemet audiit defuncti voluntatem.
- 148 Vel si heres pius, v. g. pauper solus audiit defuncti voluntatem: loquendo de Foro interno.
- 149 Doctrina practica ad propositum.
- 150 Valet etiam solo nutu ad interrogationem alterius factum.
- 151 Ac etiam, si incertus heres instituitur, vel alterius arbitrio committitur.
- 152 Si aliunde non constat de voluntate Testatoris, necessarii requiruntur duo testes. Unus testis, nullus testis. Ibid.
- 153 Doctrina practica pro Confessariis.
- 154 Testes in Testamento pio non necessario debent esse rogati.
- 155 Potest etiam mulier esse testis.
- 156 An verò esse possint testes omnes alii, qui solo Jure Civili, non item Jure nature sunt inhabiles, convertuntur, & assertur sententia affirmativa.
- 157 Eligitur sententia negativa: & quomodo?
- 158 Quamvis personæ in Testamento pio possint esse testes?
- 159 Mulier potest esse testis: & quare?
- 160 Solvitur obiectio.
- 161 In Testamento ad causas pias valent etiam legata profana.
- 162 Solvitur obiectio ex Jure.
- 163 Quod quisque Juris in alterum statuerit, vel obtinuerit, uti eo & ipse debet.
- 164 Corruente Testamento profano, valent legata pia.
- 165 Resp. ad Regulam, Accessorium sequitur naturam principalis.
- 166 Testamentum dicitur imperfectum ratione voluntatis.
- 167 Et ratione solemnitate.
- 168 Imperfectum ratione voluntatis, nec ad causam piam valet.
- 169 Solvitur obiectio ex Abbate.
- 170 Doctrina practica.
- 171 Imperfectum ratione solemnitate, in Foro externo quoad legata profana non valet.

- 172 Et quid in Foro interno? Remissive.
- 173 Quoad legata pia valet in utroque Foro.
- 174 Solvitur obiectio.
 - Ambulatoria est Ultima Voluntas usque ad supremum habitum. Ibid.
- 175 Testamentum ad pias causas est magis privilegiatum, quàm inter liberos.
- 176 Doctrina practica.
- 177 Quomodo faciliter fieri possit Testamentum pium.
- 178 Testamentum ad pias causas est mixti Fori.
- 179 Nec valet sine institutione hæredis.

Vilis Testamentis solemnibus, seu non privilegiatis, & solemnitatibus ad ea requisitis, videndum modò de Testamentis non solemnibus seu privilegiatis, inter quæ quia frequentissimum est Testamentum ad pias causas, ideò de eo ante reliqua in præsentii Paragrapho agimus. De hoc igitur Quæritur I. Quid, & an Privilegium sit Testamentum ad causas pias? Resp. I. Testamentum ad causas pias est, in quo pro hærede instituta est causa pia. Communis ac certa. Ratio est; quia forma essentialis dicitur esse rei: hæc autem in Testamento est hæredis institutio juxta dicta supra numer. 3. consequenter, an aliquod Testamentum ad causas pias sit, ab hæredis institutione, sive ab hærede instituto desumendum erit: ita, ut Testamentum, in quo hæres est causa profana, dicatur Testamentum ad causam profanam; & testis etiam continet aliquam legata ad causas pias: e contra ubi hæres est causa pia, Testamentum ad causam piam nominetur, licet aliqua legata ad causas profanas immixta habeat.

Nomine autem cause pie hic veniunt omnia loca ac instituta pia, qualia sunt Ecclesie, Monasteria, Hospitalia, Nofocomia, Confraternitates, item pauperes omnes non tantum, qui carent necessariis vitæ & naturæ, sed etiam qui necessaria vitæ habentes egent necessariis ad decentem sustentationem juxta qualitatem & conditionem status, ut cum communi supra Tit. præced. de Peculio Cleric. n. 66. jam diximus. Dummodò eidem principaliter ob honorem Dei, & animæ salutem hæreditas vel legata relinquatur, uti post Glossam bene advertit Abbas in Rubric. h. t. n. 9. arg. c. Requisivisti. 15. eod. Hinc omnino consilium est, ut si quis alicui pauperi, præsertim consanguineo hæreditatem, vel legatum relinquat, coram testibus vel in scriptura exprimat, quòd eum tanquam pauperem pro hærede instituat, & legatum ei relinquat, ne alias Testamentum, vel dispositio ad causam profanam reputetur, sique ob defectum solemnitate in Foro externo rejiciatur, casu quo dubitatur, an institutus hæres verè sit pauper, vel an ei ob honorem Dei, & animæ suæ salutem, vel potius ex alio motivo profano hæreditas aut legatum sit relictum.

Resp. II. Testamentum ad causas pias perfectò, & pro utroque Foro est privilegiatum, ita ut non tantum in Foro interno, sed etiam externo valeat, etsi careat solemnitatibus à Jure Civili aliis ad Testamentum requisitis; dummodò aliunde sufficienter constet de Testatoris ultima Volunte. Fagnanus in c. Cum esset. h. t. n. II. & ibi Abbas, & egregie Bart. in l. habeat. à n. 70. c. de SS. Eccle. Jul. Clarus §. Testament. q. 6. num. I. Covarruvias cap. II. de testam. nu. I. Pirhing h. t. n. 19. Engel eod. & hodie ferè omnes tam Civilistæ, quàm Canonistæ, ac Theologi, uti hæc Conclusio hoc tempore sit extra controversiam. Probat autem principaliter ex c. Relatum 11. h. t. ubi expressè statuitur, quòd Testamentum ad pias causas coram duobus testibus factum valet, & quòd cum aliqua talis causa, simile nempe Testamentum aut dispositio ad causas pias (dictio enim talis est restrictiva ad similia, &

- & dissimilium exclusiva, ut post Baldum bene observat Fagnanus in cit. c. Relatum. n. 4.) ad examen Judicii nempe externum fuerit, ea non secundum Leges, sed secundum Decretorum, id est Canonum statuta tractetur.
- 139 Ratio Conclusionis est; quia in causa & materia spiritali, qualis est Testamentum, ac aliæ dispositiones ultimæ ad causas pias, servandum est Jus Canonicum in utroque Foro tam Civili, quàm Ecclesiastico, ac in quovis loco seu territorio, arg. c. Quæ in Ecclesiis. 7. & c. Ecclesia S. Marie. 10. de Constit. juncto can. Cuncta per mundum. cau. 9. qu. 3. atque amplius dictum est in Proœmio n. 217.
- 140 Confirmatur, Praxis, & consuetudo universalis ubique recepta habet, quòd Testamenta, & dispositiones ad causas pias in utroque Foro judicentur juxta Canones, consuetudo autem est optima Legum interpretis, L. 37. §. 38. ff. de Legib. ergo judicare debemus quòd c. Relatum. 11. pro utroque foro, Civili nempe & Canonico sit positum, & consequenter in utroque Foro servandum.
- 141 Dices I. Generali Lege. 13. c. de SS. Ecclesiis aperte statuitur, quòd Testamentum etiam ad pias causas non subsistat, nisi debitas solemnitates Juris habeat: ergo saltem pro foro Civili non est privilegiatum Testamentum ad causas pias. Confirmatur l. Hæc consuetissima. C. h. t. omne Testamentum solemnitate Civili carens est nullum & irritum: ergo etiam Testamentum ad pias causas, eo ipso, quòd Lex generaliter loquens, generaliter sit intelligenda, c. Quia circa. 22. de Privileg. & l. de Pretorio. ff. de Publiciana in rem act. Accedit, quòd licet Leges Civiles aliqua Testamenta in specie ut Testamentum militis, ac inter liberos à solemnitate excipiant, de Testamento tamen ad pias causas taceant, consequenter in Lege universalis includant: cum exceptio unius firmet regulam in contrarium in casibus non exceptis, l. In iis quæ. ff. de Legibus: ergo pro foro Civili Testamentum ad pias causas non est privilegiatum. Resp. Transmittendum est, quòd Testamentum ad causas pias non sit privilegiatum de Jure Civili; negando verò, quòd non sit privilegiatum de Jure Canonico. Sufficit autem, ut per Jus Canonicum sit privilegiatum, ad hoc, ut dicatur pro utroque foro privilegiatum, ac in utroque foro obligare, eo quòd Testamentum hoc continet causam piam, quæ juxta dicta non secundum Leges Civiles, sed secundum Canones in utroque foro tractari & judicari debet. Hinc Doctores communiter sententur, Leges Civiles solemnitate in Testamento ad causas pias requirentes, esse correctas à Jure Canonico per c. Relatum. 11. h. t. ut proin licet Testamentum ad causas pias non sit privilegiatum per Jus Civile, sit tamen privilegiatum pro foro Civili à Jure Canonico, in materia spiritali pro utroque foro, obligante.
- 142 Dixi in responsione notanter, transeat, quia, quòd etiam de ipso Jure Civili privilegiatum sit Testamentum ad causas pias, non obscure desumitur ex L. 38. ff. de Fideicommiss. lib. ubi licet pater in imperfecto Testamento libertatem cuidam reliquerat, eam nihilominus manumittere debuerint filii; & L. I. c. de SS. Ecclesiis; sicut & ex generali illa regula ac principio, quòd à milite, & liberis, nec non à quacunque causa favorabili bona sit argumentatio ad Ecclesiam, & causas pias, uti advertit Engel h. t. n. 8. & plurimis aliis congestis Menochius lib. 3. Consil. 224. n. 62. consequenter cum Testamentum inter liberos de Jure Civili sit privilegiatum. l. Hæc consuetissima. C. h. t. de eodem Jure privilegiatum quoque erit Testamentum ad causas pias.

Quæritur II. An, & qualis ergo de Jure Canonico requiratur solemnitas in Testamentis ad causas pias? Resp. I. De Jure Canonico in Testamentis ad causas pias plus non requiritur, quam ut adint saltem duo testes legitimi, ita tamen, ut duos testes non sint necessarii ad substantiam & valorem Testamenti ad causas pias, sed tantum ad probationem in casu, quo aliunde non constat, nec probari potest voluntas Testatoris, nisi per testes; ut proin, si aliunde de voluntate Testatoris sufficienter constet, Testamentum ad causas pias in utroque foro tam interno, quam externo, Civili & Canonico, etiam sine testibus validum existat, dummodò adint ea, quæ requiruntur de Jure nature & gentium. Covarruvias de Testament. cap. 11. n. 12. Fagnanus in c. Cum esset. h. t. n. 8. Menochius lib. 3. Consil. 224. à numer. 58. peregrinè Pirhing h. t. numer. 20. Engel eod. numer. 18. Traqueil. in Tract. de Causa pia. 2. Privileg. Layman lib. 3. tr. 5. cap. 2. num. 3. Lessius, & communis aliorum, contra plures citatos à Menochio lib. 3. Consil. 224. Prima pars Conclusionis, videlicet, quòd duo requirantur testes, aperte statuit c. Relatum. 11. h. t. ibi: Mandamus, quatenus cum aliqua talis causa (Testamentum nempe ad causas pias) ad vestrum examen fuerit deducta, eam non secundum Leges, sed secundum Decretorum statuta tractetis, tribus aut duobus legitimis testibus requisitis.

Secunda pars, quòd scilicet duo testes non sint de substantia, probatur ex eo, quia imprimis in Testamentis ad causas pias solemnitas Legum Civilium non attenditur, juxta dicta numer. præced. & numer. 139. Dein in Jure Canonico nullibi reperitur Decretum irritans Testamentum ad causas pias sine testibus facta; prout tamen circa alios contractus reperitur, quando testes requiruntur ad substantiam, uti de Contractu Matrimoniali constat ex Concilio Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 1.

Confirmatur: valet Testamentum patris factum inter liberos sine omni teste, si aliunde ex manu nempe propria Testatoris constet de voluntate Testatoris. l. Hæc consuetissima. 21. C. h. t. & Authen. sequenti, magisque patet §. sequent. ergo etiam Testamentum factum ad pias causas; cum hoc, si non magis, saltem æque privilegiatum sit ac Testamentum inter liberos, ut habet communissima DD. apud Menochium lib. 3. Consil. 224. num. 64. Accedit, quòd Constitutio c. Relatum. 11. h. t. in favorem cause pie facta, sit favorabilis, nam summa est ratio, quæ pro Religione facit. l. Sunt personæ. 43. ff. de Religios. & sumptib. fun. consequenter amplianda; cum odia restringi, & favores conveniat ampliari. Reg. 15. Jur. in 6. atqui magis favorabile cause pie, si dicatur in Testamento ad causas pias testes non requiri de substantia: ergo.

Dicitur autem notanter in Conclusionem: Dummodò adint ea, quæ de Jure nature & gentium requiruntur ad Testamentum: videlicet libera voluntas testandi, & capacitas Testatoris, ut scilicet habeat sufficientem rationem, ac intellectum; quia, si horum aliquid desit, Testamentum etiam ad pias causas invalidum esse, omnes sententur. An autem ad valorem Testamenti pii requiratur etiam testandi potestas Civilis, ita, ut nullum sit Testamentum ad causas pias factum ab iis, qui de Jure Civili nequeunt testari, quales sunt prodigi, damnati ad mortem, deportati, impuberes &c. dicemus infra §. 10. agendo de iis, qui testari possunt.

Interea ex prædictis duabus Conclusionibus inferitur I. pro praxi, validum esse Testamentum ad causas pias non tantum illud, quod coram duobus testibus, sed etiam quod absente quovis teste sit, si aliunde